



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IV. Gratia Dei actualis, seu præveniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

gloriam usurpat, turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit mirabilia; soli Deo honor, & gloria. O stulti filii Adam! qui contemnent pacem, & gloriam appetentes; & pacem perdunt, & gloriam. S. Bernardus ep. 126. Apud Sylveira addit, in Luc. 2.

Pacem relinquo vobis. Joan. 14. 27. q. d. mihi servo gloriam victoriae. Sed vobis do fructum victoriae pacem. Et ideo dicunt angeli natō Dominō: gloria in excelsis DEO, & in terra pax. Hugo Card, in Gen. 39.

TITULUS IV. GRATIA DEI Actualis, seu Præveniens.

§. I. Symbola Ex Veteri.

D Et tibi DEUS de rore caeli. Gen. 27. 28. Ros caeli inculpatam vitam signat, quae caelestibus Civibus placet, qui Deo in supernis serviunt inculpatē. Ros caeli est invisibilis gratia. Ros caeli est contemplatio supernorum. Ros est gratia, quae percipitur in Sacramentis: quia descendente manna in deserto, descendit pariter & ros. Simon de Cassia l. 15. c. 2.

Respiciam vos, & crescere faciam. Levit. 26. 9. Respiciam vos, tanquam si sol respiciat fegetem; & afferat fructus; quam vivit si non respexisset, infructuosa mansisset. Origenes hom. 16 in Levit.

Spiritus Domini induit Gedeon. Judic. 6. 34. Et dicitur Spiritus Domini; id est, gratia Spiritus S. indumentum animae, quia est munimentum contra frigus timoris male humiliantis; vel contra calorem amoris male accendentis. Haec sunt enim duae portae inferni, ex quibus omne malum. Hugo Card. hic.

Prævaluit David adversum Philisthaem. 1. Reg. 17. 50. Vidisset tunc inopinatas, mirabilesque res; armatum ab inermi dejectum; reique militaris peritum ab eo prostratum; qui, præter pastorem, nihil sciebat. Quam ob causam? quia hic quidem habebat supernam gratiam, se adjuvantem; ille autem ea carens in hujus manus venit. S. Chrysostr. hom. 46. in Gen. Lapides quinque, conjungere volens gratiae posuit in vase pastoralis, in quo lac mulgere consueverat. Significatur gratia lacte. His armatus, gratia utique armatus; & ideo præsumens, non de se, sed de Domino suo, processit adversus Goliath superbum. S. Aug. in Pl. 143.

Sicut lux aurorae. 2. Reg. 23. 4. Lux aurorae, gratia est poenitentiae; quae illuminat poenitentem, pellens ab eo tenebras peccatorum. Hugo Card. hic.

Mane primo confurgit. Job. 24. 14. Est mane peccatoris illuminatio gratiae, seu initium poenitentiae. Os. 6. 1. *in tribulatione sua mane confurgit ad me.* Hugo Card. in Job. hic.

Mane astabo. Pl. 5. 5. Mane vitae humanae, & sic juvenus dicitur mane. Item diei

gratia in prima conversione hominis ad DEUM: quia tunc accipit habere lumen gratiae. *Repleti sumus mane misericordiam tuam.* Pl. 89. 14. S. Thomas Aqu. hic.

Sicut oleum in ossibus ejus. Pl. 108. 18. Oleo pugiles, ne retineantur, inunguntur: Sic pugiles DEI inunguntur à gratia, ne capiantur à diabolo. Ugo Carent. in Pl. 108.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. hoc est, pinguedo gratiae, quae de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est, ad spiritualem profectum gratiae, quam mordax increpatio pralatorum. S. Bernardus l. 9. in Cant.

Caput meum plenum est rore. Cant. 5. 2. q. d. *aperi mihi Soror: quia caput meum,* id est, Divinitas, plena est rore gratiae, & misericordiae. Cupio autem de plenitudine mea respiciam etiam replere, & toris te cumulare augmentis sanctitatis. Nam sicut ros decidens super herbas, facit eas virefcere, & fertiliorem reddit agrum; sic ros divinae gratiae &c. de Ponte hic Exh. 8. §. 4.

Ecce aies veniunt. Jer. 23. 5. Tempus gratiae dicitur dies, propter luminis apparitionem. Rom. 13. 12. *nox praecessit, dies autem appropinquavit.* S. Thomas hic.

Ex Novo.

Vidimus enim stellam. Math. 2. 2. Stella est gratia præveniens; quae ducit ad perfectionem, & consummationem. Hugo Card. hic.

Vidit illum pater. Luc. 15. 20. Nisi caelestis Pater redeuntis filii radiasset in vultu, & totam confusionis caliginem respectus sui lumine sustulisset, nunquam Divini vultus vidisset ille filius claritatem. S. Chrysostr. l. 3.

Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquae, salientis in vitam aeternam. Joan. 4. 14. Aquam gratiam Spiritus appellavit: quoniam qui adeptus est, divinae scientiae scaturientem fontem sic adeptus est; ut possit facile ad portam verbi caelestis etiam ceteros hortari; quales olim erant Prophetae, atque Apostoli. S. Cyrillus l. 2. c. 82. Non dixit: fiet in eo fluvius: quoniam fluvius ex natura sua semper ad ima, & inferiora labitur, & ad mare turbulentum pergit: gratia tamen, & dona DEI, data sunt, velut fons sursum saliens: nam dona DEI ad superiora invitantia, & perducentia, supra naturae usum sunt: aqua verò voluptatis ad imatrabit.

trahit, & in mare tormentorum demergit. Diez Desideria sancta.

Gratia, lucens est radius, à throno DEI procedens; illuminans cor, & divinæ voluntatis pandens arcana. DEUS verò ipse est Sol, non temporaliter factus, sed æternus. S. Laurentius Just. l. de Spir. animæ resurr.

Gratia DEI est equus, animæ. S. Vincentius Ferrer. f. 2. de pace.

§. II.

Gratia actualis necessitas.

Num. I.

Figure, & Symbola.

NON est bonum, hominem esse solum. Gen. 2. 18. Nihil enim boni est in homine solo sine Deo. Quid infirmus homine? & quid fortius homine? Homo sine Deo ipsa infirmitas; homo cum Deo, & contemptor mortis, & vicior, ac dæmonum debellator; omnia potest in eo, qui confortat hominem. S. August. in Pl. 45. infirmum te fecit DEUS, ut fortem faceret de se. Idem in Pl. 75. tamdiu est aliquid homo, quamdiu hæret illi, à quo factus est homo: nam recedens ab illo nihil homo est. Fernandus hic.

Vidit Dominum innixum scala. Gen. 28. 13. Ut ostenderet, neminem ad eum ire posse; nisi ille tenuerit viam ejus, scalamque sustentaverit. Oleaster hic.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Pl. 142. 6. Quasi enim terra sine aqua, est anima sine gratia. Sicut enim terra, quæ imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe: Sic anima gratia carens, non operitur virtutibus, non cogitat de cœlestibus, non insitit utilibus. S. Gregorius hic.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Cellariis fruor; sed non meis viribus huc irrepsti. Oliva l. 1. r. Strom. §. Reddite quæ sunt Cæsaris.

Nolite me considerare, quod fusca sim: quia decoloravit me Sol. Cant. 1. 5. S. Ambros. lib. de post. apol. David c. 8. sic legit: nolite aspicere me, quia obscurata sum: quia non est intuitus me Sol. Ergo fuscatur, quando non videmur à Christo; sed, quando videmur, albescimus. Si Petrum perlerutemur: quid hoc rei Petre? qui factum, quod Magistrum tuum negasti? unde illas tam fedas maculas contraxisti? posset respondere: non est intuitus me Sol. **Conversus est Jesus respexit Petrum.** Quando à Christo videmur, albescimus. Didacus Niss. de lacrymis Petri.

Veniat Dilectus in hortum suum. Cant. 5. 1. Propterea in hortum suum vocatur sponsus ad suos fructus, edendos: ut salutariter admoneat; omnia bona nostra ex ipsius gratia provenire; nihilque boni Sponsæ inesse, quod non ab ipsius Sponsi largissimo omnium bonorum fonte emanarit. Philo Carpathus hic.

Manus illius tornatiles. Cant. 5. 4. Sponsa quidem Sponsi manus multis laudat; at sponsus laudatus vices referens Cant. 4. 4. Singula corporis membra dilaudat; de manibus omnino tacet. Quia ad opus bonum nihil conferunt humanæ vires, quæ per manus adumbrantur. Pinna in Eccl. c. 1. v. 1.

Num. II.

Probatur

Ex Veteri.

Misericordia tua subsequetur me. Pl. 22. 6. Cum misericordia Domini præcedat, misericordia ejus præveniet me. Pl. 58. 11. hic dicit, **subsequetur me.** Subsequitur utique ad justitiam; sed præcedit ad gratiam conferendam. Nam, si solum sequeretur, nemo donata perciperet; si tantum præcederet, nullus poterat collata fervare. Unde nimis necessarium est; ut semper nos & gratia Domini præcedat, & misericordia subsequatur. Cassiodorus hic. Prævenit impium, ut fiat justus: subsequitur justum, nè fiat impius. Prævenit cœcum, ut lumen, quod non invenit donet: subsequitur videntem; ut lumen, quod contulit, fervet. Prævenit elisum, ut surgat: subsequitur elevatum, nè cadat. S. Fulgentius l. 1. c. 11. ad Monimum.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur. Pl. 36. 23. Pulchrè viti gressus dirigi dicuntur à Domino: quia non volentis, neque currentis, Rom. 9. 16. sed misericordis est DEL, sine offensione fervare vestigium. S. Ambrosius hic. Sicut puer tenellus firmare gressus non valet, nisi matris, aut nutricis, manibus fulciatur; sic, quibusvis homo viribus polleat, in via virtutis ruere necesse est; nisi eum DEUS manibus gestet. Pinna in Eccl. 1. vers. 1.

Erravi, sicut ovis, quæ periit; quare servum tuum. Pl. 118. 176. Dicendum videtur, erravi; ego quæram te. Melius tamen ait, quare, id est, ego sanè errare possum; sed in viam me reducere, nisi tu traxeris, non valeo. Pinna ib.

Anima nostra sicut passer crepta est de laqueo. Pl. 123. 7. Sed quæ ratione, quæ vi laqueus discissus? **adjutorium nostrum in nomine Domini.** v. 8. DEUS ipse laqueos dissolvit; nam mihi ad tantum facinus vires non suppetunt. S. Ambrosius hic: non dixit, ego contrivi laqueum; non ausus est hoc dicere David; sed **adjutorium nostrum.** Pinna ib.

Voluntatem vimentium se facies. Pl. 144. 19. id est, ut explicat S. Chrysoctomus hic, operabitur effinget. Non modò pia opera, nisi Deo ferente auxilium, non fiunt; sed nec bona voluntas, quæ bona opera homo facere disponit, nisi Deo adjuvante, habetur: nam velle, & operari, in nobis efficit Deus. Pinna ib.

Trabe me; post te curremus. Cant. 1. 3. Cur ipsa ad eum non venit? fateretur, quòd ex se non

non possit venire; ideo ejus opem implorat. Paoletti in festo Epiph.

Si locuti estis dicentes: iniquitates nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus? Ezech. 33. 10. O homo! quicumque illam peccatorum multitudinem attendis; cur & omnipotentiam celestis Medici non attendis? S. Augustinus f. 18. de temp.

Ex Novo, & Patribus.

Magister, sequar te, quocumq; ieris. Matth. 8. 19. Decipit, non accedit; qui promittit, Dominum incaute sequi. Sed omnia posse, quis promittit? dixisset cautius, sequar te, quocumque iusseris. S. Chrysolog. f. 19. q. d. arrogavit sibi vires, quibus Christum sequeretur: ideo immemor divinæ gratiæ merito repulsam tulit. Nihil enim boni facere, vel mali cavere, poteris; nisi DEI auxiliò fretus. Pinna in Eccl. 1. v. 1.

Dicunt ei possumus. Matth. 20. 22. Dicendo tam absolute possumus, propriam fragilitatem non pensaverunt. Sicut nec Petrus dicendo: *tecum paratum sum in carcerem, & in mortem ire.* Luc. 22. 33. *non quod sufficiens sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* 2. Cor. 3. 5. Si autem dixissent: possumus per gratiam tuam, tunc dixissent; quomodo dixerit Paulus. Philipp. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Dionysius Carthus. hic.

Esi omnes sibi delizati fuerint in se. Matth. 26. 33. Petrus, non additò adjutoriò DEI, promiserat se pro DEO moriturum. Sed quid est homo sine gratià DEI, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum? Et ideo Petrum paululum Dominus subdeleruit: ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine DEI gratià prævalere. S. Augustinus. f. 14. de temp.

Joannes est nomen ejus. Luc. 1. 63. *Aperitum est illico os ejus.* v. 64. O magnum nomen, quod patri vocem, populo Sacerdotem, uxori virum, per usum loquelæ restituit. Et magnò factum est hoc præfagiò futurorum: quoniam sola gratia linguas hominum facit in veritate disertas; sola gratia miracula operatur. Simon Cass. l. 3. c. 1.

Duc in altum. Luc. 5. 4. Græc. *redus in profundum.* Omnia sunt divinò facta consiliò, ut miraculi magnitudo magis innotesceret; & ut Petrus totà nocte laborans nihil caperet: ut intelligeret, frustra se sine Christo laborare; & omnia humana studia, sine divinà gratià, irrita esse. Escobar t. 1. mirac. Chr. Sect. 5.

Erant appropinquantes ei peccatores. Luc. 15. 1. Non potest peccator per se venire ad Dominum, nisi hic præveniat, quærat, vocet, illuminet at trahat. Unde, si appropinquantes erant peccatores, ipse prius appropinquabat, & trahebat eos. Dum ferrum vides currere ad magnetem, non est vis in ferro ad appropinquandum, & se magneti conjungen-

dum; sed in magnete est vis ad trahendum. Magnes mysticus est Christus. Marchantius D. 3. Pent.

Vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus. Luc. 15. 20. Pater prior filium vidit, prior occurrit: quia nisi Deus auxiliò suò homines anteverteret, nihil boni efficere possent. Et Luc. 19. 5. Zachæus prius à Christo visus est. Pinna in Eccl. 1. v. 1.

Expectansium aqua motam. Joan. 4. 1. Movet magni consilij Angelus aquam, scilicet gratiæ, cum corda hominum commovet, & invitat ad gratiam. Et quoddam invitorium erat ille motus, ut descenderetur in aquas. Movetur quidem gratia, cum ad se indigentes invitat. Non enim homines ante moventur ad illam, nisi prius gratia ad homines moventur: prævenit enim gratia omnem motum cordis ad illam, omnemque bonam corporis actionem. Hinc Salvator ait Joan. 15. 5. *sine me nihil potestis facere.* Simon Cass. lib. 6. cap. 27.

Gratias ago DEO meo per JESUM. Rom. 1. 8. Judicavit, propriis vicibus ne quidem debitas gratias referre posse; nisi per JESUM, & ejus auxiliò. Paoletti in festo Epiph.

Quod est meritum hominis ante gratiam? quò meritò percipiat gratiam? cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia. Et cum DEUS coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam merita sua? S. Augustinus ep. 107.

DEUS profectò nullatenus invenitur, nisi ipse nos excitet, ut quærat. S. Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 1.

Sicut corpus nihil potest sine vitâ suâ (id est, sine animâ) sic interior homo noster nihil boni potest sine gratiâ divinâ. Richard. à S. Victore, de erudit. hom. l. 1. c. 3.

Ad hoc nobis ejus gratia subtrahitur toties, ut, quam per se nihil boni possit humana infirmitas, ex proprio defectu doceatur. Ad hoc iterum eadem, quæ fuerat subtrahita, gratia restituitur; ut per ejus effectum, quid ex DEI munere simus, experiamur: ut qui unum idemque modò possumus, modò non possumus, nisi quia gratiam adjuvantem modò habemus, modò non habemus. Idem de arca myst. l. 3. cap. 17.

§. III.

Gratiæ efficacia.

Ex Veteri, & Novo.

Sol contra Gabaon nè movearis. Jos. 10. 12. Non steriles sol ad vocem hominis; nec Josue auderet ejus rapidissimos equos frangere; nisi de JESU nostri efficacia. S. Ambros. Psal. 43. nec enim in sua confidentia dixit JESU Nave, ster Sol contra Gabaon; sed quia præsumebat in CHRISTO, quem ducent militiæ celestis agnovit, & suppliciter adoravit; & ideo gentes feras eradicare promeruit. Bæza t. 2. l. 6. c. 5. §. 7.

Add.

Adducentur Regi virgines post eam. Pl. 44. 15. Adducentur, ut Domini gratia declaratur, quâ nos ad se adducit, quando nos miseratus aspexerit. Cassiodorus hic.

Ego dilectio meo, & dilectus meus mihi. Cant. 6. 2. Ut oviculæ, vel alicui è cicuribus animanti, præmonstratum aliquid, eam propius allicit, ac movet; nec tamen cogit: ita menti humanæ divinæ gratiæ lumen infusum, voluntatem nostræ animi, seu rationis, illicet, ac trahit; nec ullâ vi cogit; sed solâ charitate benignissimè invitat. Philo Carpathius hic.

Fluent ad eum omnes gentes. II. 2. 2. Nota miraculum: flumina enim deorsum fluunt; hic verò fluunt sursum in altissimum montem ascendendo. Hoc facit gratia Christi, quæ sursum corda rapit. Cornelius hic.

Potens est DEUS de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Matth. 3. 9. Quia de gentibus, qui propter cordis sui duritiæ, & idololatriam, lapides vocantur, potest misericordia DEI facere homines sanctos, & spirituales; qui digni sint dici filii Abrahæ. Dionysius Carthus. hic.

Et surgens secutus est eum. Matth. 9. 9. Ad unam vocem rapitur Matthæus, dimissis thesauris; quem levitatis insimulabat ille, qui nescierit JESUM fuisse, qui vocabat. Nam minimus ejus radius potens est omnium ad se rapere radios. Rapidissimus ipse Sol, ubi vel JESU umbrâ tangitur, quam nunquam noverat, in cursu moram fecit, nesciens JESU non obtemperare. Bæza t. 2. lib. 6. cap. 5. §. 7.

Va tibi Corozaim, & tibi Bethsaida! Matth. 11. 21. DEI gratia enituit; dum ex medio tantæ pravitas tres Apostolos præclarissimos eduxit. Sylveira in Joan. I.

Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas DEI circumfudit illos. Luc. 2. Nota, quòd Angelus juxta affuit; sed DEI claritas eos omnino penetravit, intrinsecus illustravit. Non Angelorum militia, non totus stellarum exercitus, valet; quod vel unius JESU nascentis radius, ad expugnandas, & trahendas humanas voluntates. Bæza t. 2. lib. 6. c. 5. §. 7.

Amen dico tibi. Luc. 23. 43. Admiranda prorsus Spiritus Sancti gratia in corde hujus latronis agnoscitur. Apostolus Petrus negat; Discipuli in Emaus euntes dicunt, nos autem sperabamus; hic autem confidenter loquitur dicens: *memento mei &c.* Bellarminus de 7. V. D. lib. 1. cap. 4. Vide utrinque potentiam illius (Christi) effulgentem. Creaturam concussit, petras dirupit; animum latronis petrâ durior, cerâ molliorem effecit. S. Chrysof. hom. in Crucem.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Hæc vox filii Dei signat magnam gratiam illius, quâ vocat peccatorem interius, per occultam inspirationem dicens illi: *veni foras*; id est, confiteri peccata tua Sacerdoti. Haymo hom. in octava Paschæ.

Domine, quid me vis facere? Act. 9. 6. Magnificè in hac una conversione, & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ, commendatur. S. Bernardus l. 1. in Conv. S. Pauli.

Habemus thesaurum istum in vas fictilibus, ut sublimis sit virtutis DEI, & non ex nobis. 2. Cor. 4. 7. Si tam multæ molis est thesaurus, cur imbecille vas? atqui vas istud eam ob causam fragile est; quòd magnus sit thesaurus. Non enim thesaurus iste à vase conservatur; quin potius thesaurus conservat vas. S. Chrysof. hom. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Adamante solidiores DEI gratia nos efficit; & si volumus, omnino inexpugnabiles. Itaque qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit: in hunc modum res se habent nostræ cum salutis adversario; si armis, quæ Spiritus S. gratia exhibet, continuo nos muniamus. S. Chrysof. hom. 4. in Gen.

Nihil obistere Divinæ gratiæ potest, quò minus id, quod voluerit, impleatur: dum etiam discordiæ ad unitatem trahunt; & plagæ in remedia vertuntur: ut Ecclesia, unde metuit periculum, inde sumat augmentum. S. Prosper de voc. Gent. l. 2. c. 33.

Mirabilis triumphus gratiæ! omnino novum, ac pulcherrimum, genus victoriæ; hostem non perdere ad mortem fortitudine; sed convertere ad amorem pulchritudine. Guaricus. f. 2. in Nat. B. V.

Plus potest gratia DEI in bono, quam peccatum Adæ in malo; quia peccatum procedit ex infirmitate voluntatis humanæ; gratia autem procedit ex immensitate Bonitatis divinæ. S. Thomas Aqu. in c. 5. ep. Rom. Lect. 5.

§. IV.

Gratia DEI prompta se omnibus communicare.

Percutiens virgâ bis. Num. 20. 11. Gratia Christi promptissimè exilit, ubi subjectum aptum invenit. Non magnis ictibus opus habes, ut à Christo fluente gratiæ profiliant. Solùm expectant, ut quanta sint vasa, quibus recipi possint. Quòd si aptatum sit vas ad recipiendum; adeo prompta est gratiarum vena, ut vel levi tactu, vel oculorum jactu, pulsata, mox se profusissimè effundant. Non bis peccati expectat ictibus virgæ Petra CHRISTUS; verum si vel ictu oculi tangatur, largissima mittit fluente gratiarum, ubi subjectum fuerit aptum. Bæza t. 2. lib. 10. cap. 7. §. 5.

Operi manuum tuarum porrige dexteram. Job. 14. 15. Sicut, cum nutrix videt puerum invalidum conari ad ambulandum, statim occurrit, nè cadat: ita DEUS, cum aliquis nititur per liberum arbitrium ambulare ad eum; statim DEUS occurrit per gratiam. Hugo Card. in Luc. 15.

Præcurrens ascendit in arborem. Luc. 19. 4. Non verbum fecit, non manibus pulsavit; sed nec oram vestimenti tetigit: solum ab arbore oculorum ictibus egit; & totum se effudit Jesu charitas. S. Laurentius Novar. hom. de penitentia: Domine, quid est hoc, quod dicis? Publicanus est Zachæus, videre te solum cupit; nunquid de sola visione jam debet salvari? *ascendit in arborem, ut videret*: necdum ingemiscit. Nunquid confessus est maculam suam, aut flagitia explicavit? nunquid flevit antequam? Et dicis illi: *hodie in domo tua oportet me manere*? Vix adhuc vel videre te meruit, & jam angulos ejus visitas. Verum hoc officij tui est, & indulgentissimæ curæ. Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Moyses vulneravit bis silicem, ut aqua fluereat: Fidelis anima vel unius oculi radii immisso vividum fontem vulnerat, & gratiarum fluente educit. Il. 60. 5. *hunc videbis, & affluet.* Bæza t. 2. l. 10. c. 7. §. 5.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt. Joan. 1. 5. Cur de præsentia dicitur, quod lux luceat? Lux significat auxilia, & gratiam Dei; per tenebras verò intelligit peccatores suis peccatis obcæcatos. Dum ergo est sermo de gratia, & auxilijs; loquitur in præsentia *lucet*: quia Deus dona sua semper habet in præsentia, & in conspectu; ut ea communicet, & hominibus largiatur. At dum de peccato agit, in tempore præterito proferuntur, & velut post tergum Dei; ut sic quodammodo videatur dissimulare Deus, ac ideo oblivisci, ne puniat: ut det locum penitentia, & misereatur. Sylveira hic q. 30.

Ex Patribus.

In amplitudine sinus sui Mater Charitas prodigos suscipit revertentes; & (velit, nolit, Novarus hæreticus) omni tempore Dei gratia recipit penitentes. Ipse Dominus noster, derelictorum personam gerens in Cruce, se queritur derelictum; Et, ne desperarent etiam in ultimis constituti, festinans in adjudicium illic adest, & re in arcto posita non differt beneficium; sed repente indulgentia celeris documentum ejusdem statuit, & exemplum, latroni inquam: *hodie mecum eris in paradiso.* S. Cyprianus de Coena Domini.

Quemadmodum fons neminem ab aqua sua arceat; ita gratia thesaurus nullum prohibet hominem, cur minus particeps illius reddatur. Modò igitur voluntas gratia accipiendæ adfuerit, illic totus thesaurus gratia patebit. Haurite ex hoc fonte Charissimi coelestium donorum rivos, atque fluentia, dum licet. Tempus enim veniet, & hora, quando ex eo bibere, atque sitim extinguere, planè nemini licebit. S. Ephrem de timore Domini.

Instar matris ubera præbebit tibi; & velut infantem ab insidiatoribus custodiet te. Tanquam parvulum incautum gubernabit te; & in virum perfectum te formabit. Amori ejus, atque indulgentia fidem adhibe: ea enim

omnis Creatura principium est. Idem de divina gratia.

Efficacissima est hominibus gratia Dei; & velut in eorum jurata obsequium: quibus hoc solum tribuit, ex quo boni sint; seu per quod boni esse possint. Quippe quidquid eis tribuit, aut virtus est, aut instrumentum ad virtutem. Hildebertus ep. 32.

Gratia gratis datur: etiam cum emittitur, gratis emittitur: quia, quod datur pro ea, melius retinetur. Sanct. Bernardus l. 2. in Refurr. D.

Anima, si esuris gratiam, pulsa ad januam; si pulsaveris, aperietur; si petieris, dabitur. Non se abscondit gratia, non latitando fugit, non in fossis se recondit. Præstò est, nè querens fatigaris: occurrit, nè tædidi afficiaris: præoccupat, nè conscientia pudore verecunderis: excitat, nè pigritaris: portat, nè labaris: gressus regit, nè exorbitat: pascit, nè in via deficias præ inopia ægrotas. Petrus Cellens. de pane lactantium cap. 14.

Non est Filij Dei gratia ullis coarctata limitibus; communis omnibus volentibus est. Simon Cass. l. 5. c. 27.

§. V.

Gratia cooperare.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri.

Non enim pluerat Dominus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram. Gen. 2. 5. Duplicem asserit causam, cur nondum terra esset ornata herbis, & arboribus. 1. Quia Deus non pluerat. 2. Quia homo non erat, qui terram excoleret. Terra est animus justus; virtutes plantæ: quæ ut pullulent, necesse est, & Deum supernâ irrigare gratiâ, & hominem gratia cooperari. Non ego solus, sed gratia DEI mecum. Pinna in Eccl. Ethol. 256.

Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur &c. Gen. 2. 15. S. Thomas Aqu. hic: quid oportebat custodire illum locum, cum nullus esset violentus invalor? Potest dici: quod licet Deus sufficienter custodiret locum illum, & nunc etiam custodiat; decens tamen fuit, quod aliqua ejus custodia homini committeretur, quamdiu ibi staret. Unde quælibet incommoda, quæ poterant vel ab avibus, vel ab alijs animalibus, vel etiam à daemonibus, contingere; poterant per hominem removeri, & impediri.

Faciamus ei adjutorium simile sibi. Gen. 2. 18. & mox subditur: *tulit unam de costis ejus.* v. 21. S. Anastasius Sinaita l. 9. hexam: quæ dicitur adjutrix, eam fecit ex propria in ipso costa.

Cur Deus non aliter Noe, quam per arcam ab illo fabricatam liberavit? Gen. 7. Resp. S. Thomas hic: Ut per hoc daretur aliquis locus meritis, & cooperationi ipsius: quia fabricando hanc Arcam probata est fides ejus; & per hoc

hoc cooperatus est restitutioni saluationis. Mendoza in 1. Reg. 4. Sect. 3.

Circuibatq; populus, & colligens illud Ec. Num. 11. 8. Manna non dabatur esui jam præparatum; sed fragendum molâ, siue terendum in mortario, & coquendum in olla &c. Pagninus: manna ope, & industriâ humanâ præparabatur ad vescendum. Manna cœlestium donorum symbolum; quibus cooperandum. Sylveira in Joan. 2. q. 29. Manna non pluit intrâ, sed extra castra. Ex. 16. 13.

Sic, & sic locuta est puella de terra israhel. 4. Reg. 5. 4. Puella parvula Hebræa gratiam Dei excitantem repræsentat. de Ponte in Cant. 1. Exh. 6. f. 2.

Vade, & lavare sepias in Jordane. ib. v. 10. Cur non fanat solô verbô? ut doceat, etiam in rebus divinâ virtute peragendis industriam aliquam humanam adhibendam. Mendoza in 1. Reg. 4. Annot. 10. Sect. 3.

Titulus Pl. 87. pro *Maheshb ad respondendum.* Græc pro choro ad respondendum. Psalmus iste, qui de Christi passione agit, inquit David, volo serviat choro; in quo dum canitur, mutuò, sibi respondeant in choro, id est, in Ecclesia Dei. S. Augustinus vult, Prophetam hîc usum metaphorâ sumptâ à Cantoribus, qui sunt in choro: in quo facti oedei director psalmum, aut antiphonam, inchoat; cœteri verò profequantur, eò vocis tenore, quo cum ille exorsus est. S. Petrus dixit 1. 2. 21. *Christus passus est pro nobis*; ille mutum Passionis inchoavit; sed addit. *U. sequamini vestigia ejus.* Et hoc est, respondere, inquit S. Augustinus: quia ille non cantare omnia sôlus debet, necesse est, ut Christianus ex se quoque aliquid faciat; ut illum imitetur, & patiat cum illo. Vult Christus, ut cantemus velut per choros pro choro ad respondendum: ut per choros patiamur: nec enim omnia ille sôlus ferre debet. Adjiciendum ex parte nostra aliquid est. Didacus Nissenus f. 3. D. 4. Quadr. f. 5.

Aperi mibi soror mea. Cant. 5. 2. Illa sensus inter amoris curas, & somni delicias partita; & dormiebat, & vigilabat: *ego dormio, & cor meum vigilat.* v. 2. Gilbertus f. 4. in Cant: Quid est bone JEsu! quid rogas aperiri? Tu ipse habes clavem David; aperis, & nemo claudit. Apoc. 3. 7. Si ergo aperire potest sponsus, cur à sponsa cupit sibi aperiri? Nisi sponsa aperiat, non intrabit sponsus. Addit Gilbertus: utraq; necessaria est, & cognata sibi sunt; apertio sponsi, & apertio sponsæ. Apertio sponsi apparitio ejus est; apertio sponsæ apparatus ejus, & coaptatio ad tam dulces usus. Naxera tr. de B. V. f. 15.

Sponsabo te mibi in justitia &c. Ol. 2. 19. Non est verum matrimonium, nisi mutuò conjugandorum consensu stabilitum. Dicit ergo: si vis, ô anima, gloriam sempiternam; non aliter eam obtinebis, quam sibi copulari conjuges solent. Dat tibi Christus manum; tu illi da. Concurre ambo debemus; ut ego quidem opem feram; tu verò operam tuam simul adhibeas; & ad meam gratiam tua industria accedat. S. Chrylost. hom. 58. in Gen.: sicut, nisi gra-

tiam habeamus, nihil unquam possumus rectè agere; itâ nisi, quod nostrum est, attulerimus, non poterimus superum acquirere favorem. Demus igitur operam, ut & ex nostro studio; & Dei misericordia, virtutes nostræ quotidie crescant, multâque supernâ fruamur gratiâ.

Ex Novo.

Reddite, que sunt Cesaris Cesari, & que sunt DEI DEO. Matth. 22. 21. Si legi æquissimâ pareamus, salva sunt omnia. Nam in homine, qui est instar numismatis; & insunt, quæ Domino debeantur; & subest, quod Cesari, hoc est, tibi, imputet homo. Ex rudi massâ reculus es in didrachma Ecclesiæ: debes sculpturam tuam Deo, debes eam & tibi. Utrumque si expendas; & mortem excutis, & languorem. Nolo tibi adscribas cœlaturam tuam. Sed nec puta, itâ te cadendum in Dei nummum; ut, stertente te, sculptura tua, quasi ex Adamo Eva, elaboretur. Ad labores necesse est operanti Deo. Pl. 1. 3. miratur arborem fertilem; sed ait, eam juxta fluenti gratiæ, quæ manat de vulnerato latere Domini. Oliva l. 11. Strom. hîc.

Elevavit eam apprehensâ manu. Marci 1. 31. Magna benignitas Salvatoris, qui manum porrigit, manumque fabricantis apprehendit. Conferuntur manus Dei, & hominis; salvatoris, & salvandi; justî Dei, & hominis peccatoris. Id. l. 5. c. 9.

Et adducunt ei surdum. Marci 7. 32. Adduci sibi vult eum Christus: quia vult cooperationem nostram. Considera, quando, quod à nobis est, offerimus; largiter divinam operationem consequimur: nam nè desides, & supini, simus; vult etiam aliquid nos conferre: quò sic sua declaret, & non totum sit supreni auxilij; sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre. Neque à nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatis nostræ excellentiam, & suam servans misericordiam. Et volens occasionem aliquam offerre, ut suam declaret liberalitatem; expectat, ut offeramus, quæ à nobis sunt. S. Chrylost. hom. 53. in Gen.

Adducunt ei cæcum. Marci 8. 22. Cœcissimi sumus; hoc duce pariter indigemus. Præstat ipse suam manum; porrigamus & nostram. Et opera nostra infirma suis altissimis operibus conjugamus; neminem, nisi solum ipsum sequentes. Simon Cass. l. 5. cap. 26.

Singulis manus imponens curabat eos. Luc. 4. 40. Manuum autem impositio significat cooperationem liberi arbitrij; quæ requiritur in nostra sanatione. Unde Augustinus: qui creavit te sinè te; non justificat te sinè te. 1. Cor. 3. 9. *Dei sumus adjutores.* Hugo Card. hîc.

Descendit procella venti in stagnum. Luc. 8. 23. Navigantibus Discipulis, id est, Fidelibus quibusque sæculi fluctus calcantibus, & ad portum æternæ beatitudinis tendentibus, ventus est flatus Spiritus Sancti; gratia ejus pro velo, liberum arbitrium pro remo. Hugo Card. hîc.

Implete hydrias aquâ. Joa. 2. 7. Cur non ipse Christus D. aquam infudit? S. Ambros. l. 6 in Luc. in nuptijs ex fontibus vina, ministris operantibus, colorantur; & ipsi, qui impleverant hydrias aquis, vinum, quod non detulerant, hauriebant. Ut nobis divina dona communicentur, cooperatio nostra est adhibenda. Sylveira hic q. 29.

Damibi bibere. Jo. 4. 7. q. d. citò convertere, & me potabis. Tu sitis ad culpam; & ego sitio te ad gratiam. Tu sitis tuam damnationem; ego tuam salvationem. Hugo Cardin. hic.

Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos. Joan. 6. 9. Sitantum miraculum paraturus Iesus erat in illo epulo; cur, qui duodecim cophinos superesse voluit, panes petijt? & non magis dapes è nihilo jussit emergere: Quare, qui panes multiplicat, non creat panes? Negligatur puer cum annona sua: & quando miraculis mensa paranda est, sinè panibus panes progerminet. Docet nos Christus, dum pascit, gratia suae cooperatores nos esse debere. Liberalis tecum vult esse Deus; sed tu cum illo debes esse industrius. Multiplicabit quidem; sed si quid exhibueris ex eo, quod accepisti. Audi Paulum Eph. 5. 14. *Surge, qui dormis, & exurge, à mortuis; & illuminabit te Christus:* illuminabit; sed non jacentem. Aquam è saxo educet; sed nisi virgâ petram percusseris, vel terrueris, undam non eliciet. 2. Cor. 9. 10. *& multiplicabit semen vestrum:* auget, sed semen; multiplicat, sed panes. Ol. t. 2. Strom. § Est puer unus hic.

Vade, lava in natatoria Siloe. Joan. 9. 7. Cur cœcus ad natatoriam mittitur, cum posset illum CHRISTUS mox sinè hoc adjutorio sanare? ut cooperaretur gratia, & aliquid de suo adderet. Bæza t. 2. l. 10. c. 3. § 8.

Afferre de piscibus. Jo. 21. 10. Exquiratur communicatio atque unio debita operum capitum, & membrorum: ut ex alteris altera virtutis perfectionem accipiant. *Venite, prandete.* ib. v. 12. Vocat ad esum Iesus suos Discipulos: ut cum ipso in sua beatitudine per suam misericordiam, & per meritum Passionis, datâ nostrâ operatione quæ sita æternaliter perfruamur. Simon Cass. l. 14. hic.

Cannabum cum illo, & ille mecum. Apoc. 3. 20. Jacobus Januensis. l. 1. de S. Magd. id est, ego ponam partem meam, & ipse ponet partem suam. Cœna, ad quam Christus invitat, est gloria cœlestis.

Ecce sto ad ostium, & pulso. Apoc. 3. 20. Ostium mentis voluntas est; seu consensus ejus; quod & bono, & malo, à libertate arbitris, per assensum, & dissensum, aperiri, & claudi potest. Ex quo patet, quòd liberum arbitrium portarius est ad aperiendam hanc januam voluntatis. S. Bernardinus t. 3. f. de amore inter Deum & hom.

Vidi sanctam civitatem novam Jerusalem descendens. Apoc. 21. 2. Semel in Scriptura legitur; cœlum, in singularis favoris

testimonium, ad Joannem descendisse. Sed quò descendit: *super montem magnum.* v. 10. (ut non in planitiem, ut Joanni jam laboribus fracto, & feniculo, non nihil parcereetur? Mysterium subest: non datur cœlum ignavis. Deus gloriam suam dare statuit in prœmium, & mercedem; ut & nos aliquid, & quidem de nostro, conferamus. S. Chrysost. hom. 60. ad pop. neque nos supinos vult esse Deus; propterea non ipse totum operatur: nec vult esse superbos; & ideo totum nobis non cessit. Dei est vocare, nostrum respondere. Segneri f. 31. die Merc.

Spica. Lem: Sole, solòq. Gratia divina requirit operationem humanam. Picinelli.

Motiva Ex Veteri.

Dominus Deus, qui ductor est vester, pro nobis ipse pugnabit. Deut. 1. 30. S. Augustin. q. 1. in Deut. Deus ita locutus; non ut se infirmum judicaret; sed ut ostenderet, esse adiutorem: ut etiam homines agant aliquid.

Ab omni via mala prohibui pedes meos; ut custodiam verba tua. Pl. 118. 101. His videtur adversari, quod Pl. 114. 8. dicitur: *quia eripuit animam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.* S. Ambros. octon. 13. hic: eruit Dominus pedes à lapsu; si cognoverit, quòd tu prohibeas pedes tuos à lapsu. Ideo hoc meruit David, ut Deus à lapsu pedes ejus erueret; quoniam pedes suos ipse prohibuit. Didacus Niss. Pol. Cœl. p. 2. l. 6. c. 2.

Converte nos Domine ad te, & convertemur. Thren. 5. 21. Quibus verbis primum pietatis implorat gratiam, tum repromittit arbitrium; ut effectus capiat salutis. Alioquin, nisi per gratiam, nullus est, qui convertatur a veris: quia nostrum est, quòd cecidimus; Dei autem, quòd resurgimus. Ut sit secundum Apostolum, *non volentis, neq; surrevis.* Rom. 9. 16. Neque enim sufficit, ut convertat nos Deus; nisi nos ad eum per gratiam, nostrâ convertamur voluntate. S. Paschasius hic.

Ex Novo.

Venite post me; & faciam vos fieri pisces hominum. Matth. 4. 19. Non dixit faciam vos esse, sed fieri pisces hominum: innuens, quòd debet homo laborare ad hoc, quòd sciat prædicare. Hugo Card. hic. Quod de prædicatione dicit Hugo, traducere possumus ad salvationem.

Sanctificetur nomen tuum. Matth. 6. 9. Vide, quàm cautè locutus est. Non dixit: Pater sanctifica nomen tuum in nobis; adveniat regnum tuum super nos; fac voluntatem tuam in nobis. Nec iterum dixit: sanctificemus nomen tuum; suscipiamus regnum tuum; faciamus voluntatem tuam: nè hæc aut Dei tantum, aut hominis tantum, esse videantur; sed medicè dixit.

xit, & impersonaliter. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habeat adiutorium Dei; sic nec Deus operatur bonum in homine, nisi voluerit homo. Didacus Nisf. D. 2. Pasch.

Viri Niniuite surgent in iudicio cum generatione ista. Math. 12. 41. Frequens est Dei gratia; rarus per humanum voluntatem usus gratiæ. Ergo Ninive repente fit ex rea arbitra, Judexque Palæstinæ; & suis lacrymis obruit Jerosolymam. Nobis imputanda est durities nostræ; qui, si occasione uteremur, felicitatis nostræ, essemus procul dubio non algæ in limo, sed palmites in Carmelo &c. Oliva f. 4. D. 1. Quadr.

Adyua me. Matth. 15. 25. Prudens foemina non se à labore eximit; solum petit auxilium, cui ipsa, si fas sit, cooperetur; quasi & ipsa, quod est in se, factura. S. Alcinus lib. de castit. auxilium conatus amat; quis namque vacante adjuvet, aut homo virtutem jungat inertis Bæza c. 2. l. 6. c. 7.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi. Luc. 1. 38. Cur Deus voluit hoc mysterium fieri interveniente consensu Virginis? Noluit Deus carnem sumere ex B. Virgine sine ejus consensu, sicut Eva formata est ex costa Adam, ipso dormiente. Ut significetur; quod aliter se Deus habeat in creatione, aliter in restauratione, & salute nostrâ: nam in creatione utitur potentia suâ independentem à nostra voluntate; at in salute nostrâ non vult ita effici, nisi cooperantibus nobis, & consentientibus. Sylveira hic.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Jo. 1. 12. Cur non dixit, fecit nos filios Dei fieri? ut ostenderet, multâ nobis opus esse diligentiam, ut adoptionis nobis, per Baptisma impressam, imaginem puram servemus, atque intactam. Sanct. Chrysost. hom. 9. in Joan.

Castigo corpus meum. 1. Cor. 9. 27. Ecce beatus Apostolus jam Christi habitaculum, jam vas electionis, effectus; intelligit sibi non sufficere, solam gratiam; nisi gratiæ adjungat sollicitudinem vigilantiam, & laboris industriam. Euseb. Emiff. hom. 1. de initio Quadr.

Gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Cor. 15. 10. Multos haberet Ecclesia Paulus, siâ multis plenitudo gratiæ non projiceretur. Verum quod copiosius in nos influit divina liberalitas, eo sterilius est cordis nostri lenticulosus ager. Oliva l. 9. Strom. §. Gratiæ ejus in me vacua non fuit.

Induite vos sicut electi Dei. Coloss. 3. 12. Non ait, venite ad me, & ego vos induam: vestrum est, ornare vos; nisi vos induatis ipsi, ego vos frustra induerem. Ideo sponsus ait Cant. 8. 6. *pone me, ut signaculum.* Si ita cupis sigillum tuum in corde sponsæ, illud in ea imprime. Falleris; nisi se eò ipsa consignet, frustra eam ego signarem. Oliva l. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere?

Noli negligere gratiam, quæ data est tibi. 1. Tim. 4. 14.

Polyanth. Sacr. Tom. I.

Ex Patribus, & aliis.

Quia manifestissimè, & Prophetica, & Evangelica, & Apostolica; doctrina, nec superbos nos vult esse, nec desides; cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem, & quotidie provehentem, vigilantem, & sobriè, subsequamur: nunquam cessantes ab actione gratiarum: quia inter secunda vitæ hujus, & adversa, si proficimus, inde alimur; si stamus, inde subsistimus; si recidimus, inde reparamur. Sanctus Ambrosius ep. 84. S. Virgini Demetriadi post medium.

Neque in rebus bonis conatus humanus, sublata ope divinâ, perfectè unquam, quod vult, poterit adipisci: neque itè vicissim divinum præsidium ad nos, nullò nostrò studio, venire putandum est; sed ad perfectum virtutis cumulum conjuncta esse simul utraque oportet, & humanum studium, & auxilium celeste, fidei operâ ascitum, & comparatum. S. Basilus M. confit. Monast. c. 16.

Liberalis est DEUS, & pronus ad beneficentiam; expectat tamen cujuslibet propriam voluntatem. S. Cyrillus Jeros. Catech. in præfat.

Omnes nobis cavemur deesse gratiam; sed justius forsitan ipsa sibi queratur gratia, deesse nonnullis. S. Bernardus de triplici cufiod.

Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur. Id. tr. de grat. & libero arbit. sub initium.

Ad perficiendam curationem oportet non solum Medicum, suum præstare officium; sed & ægotantem suum exequi: etenim ægri est, unâ cum medico, morbo reluctari. Hypocratis axioma.

§. VI.

Gratia Dei requirit nostram dispositionem.

Symbo la

Mensus est sex modios hordei, & posuit super eam. Ruth 3. 15. cum ingenuam Ruth ex arca sua dimitteret; nè vacua abiret. Cur tam parvus Booz? Abulens. q. 32. voluit ei dare, quantum posset portare: & quia poterat portare sex modios, putavit Booz, quod fortè non posset portare plus. Incapacitas nostra facit, ut Deus pauciora, & minora, quam vellet nobis impertiat. Didacus Nisf. f. 4. D. 5. Quadr.

Pete vasa vacua non pauca. 4. Reg. 4. 5. Significatur, cor vacuandum esse à cupiditatibus terrenis, ut Deus illud oleo gratiæ suæ impleat. Sanct. Augustinus s. 206. de temp. docet, viro Apostolico quærenda esse vasa vacua, id est, homines instructione indigentes, in quos oleum doctrinæ infundat. Cornelius hic. In vasa vacua à filiis sibi allata oleum à Deo miraculosè multiplicatum infudit;

LII 13 quod

quod & vasis deficientibus stetit. Si vis, ut divinam suam gratiam Deus animo tuo infundat, ipsum à Mundi amore vacuum illi offer. Quod si cesset divina consolatio; ideo fit, quod cesses dare vas vacuum. Mihi crede, si tibi Deus non largitur gratias, quas magnis suis donavit amicis; id non fieri, quod modò non sit liberalis, sicut tunc; sed quia tu voluntatem tuam non disponis, sicut illi suam disponebant. Stella p. 1. c. 1.

Si tetigero tantum vestimentum ejus. Matth. 9. 21. Alè contemplari oportet, quòd virtus diffusiva divina nunc singulariter pronuntietur emissa; nisi quia, cum semper diffunditur, non tamen semper operatur: velut solaris lux obice objectò, non semper in objecta refulget: non defectu irradiantis luminis, sed intercepti obicis. Sic & virtus divina semper ageret supernaturales effectus, si se objecta suis infusionis coaptarent. Proinde Salvator asserit; exisse de se virtutem: quia invenit, ubi absque Sathana suum operaretur effectum, Sim. Cass. l. 5. c. 19.

Quod autem in bonam terram. Luc. 8. 15. Ista bonitas terræ nihil aliud est, quam bona preparatio nostri cordis. S. Bonav. l. 1. D. Sexag.

Implete hydrias. Joan. 2. 7. In nuptiis Canæ tantum hauserunt vini, quantum infuderant aquæ. Quod si minus aquæ infudissent, minus etiam vini habuissent. de Ponte in Cant. 2. Exh. 35. §. 2. Vellet omnium Salvator Dominus, ut omnis anima caperet, quantum posset; & in tantum repletur virtutum moribus, & beneficii gratiâ, quòd amplius impleri non posset. Nam anima hic vivens non agnoscit, quantum dilari potuit in captione gratiæ, sive virtutum; aut quantum hic potuit à vitijs depurari. Videbit autem, exempta cum à corpore fuerit, & tetralibus sedibus sita æquè dolebit de hujusmodi negligentia, ut de pœna. In mansionibus verò recepta supernis sine dolore cognosceat, undè dolendum esset, nisi beata foret: & perspicuè intuebitur, ad quas celsitudines fuisset à suo Redemptore sublata; si, dum in hac tenebrosa vita degebat, dilatasset seipsum, ad capeffendas gratias, & virtutes, quantum ex eis desuper Salvator volebat infundere: qui nunquam cessaret nisi anima fastidiret. Longè latior esse posset nostræ mentis capacitas, quam credimus: sed ipsam in angustum sinum colligimus, cum ipsam intendimus replere caducis; & in illa intendimus, ad quæ creata non fuit. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Suadeo tibi emere aurum ignitum. Apoc. 3. 18. Verbò emendi hortatur, ut multa faciat, & ex sua parte adhibeat, ut aptus sit ad dona divina. Albertus M. hic: Suadeo tibi, id est, ad tuam utilitatem emere. Hoc dicit contra illos, qui pro nihilo volunt habere aurum ignitum; id est, regna cœlorum. Sylveira hic.

Testimonia.

Ex Novo, & Patribus.

Parata sunt omnia. Luc. 14. 17. Omnia salutis nostræ, atque refectioni animæ, necessaria in regno Ecclesiæ sunt parata. De quo Paulus 1. Cor. 1. 4. 5. 7. *gratias ago Deo meo, quòd in omnibus divites facti estis. nã ut nihil vobis desit.* Sed parans omnia divina Bonitas, ad illa invenit homines imparatos. Sed nescio, quæ major perverfitas, quam ad præparationes divinas se reddere imparatos. Hinc invitati se excusare cœperunt; plus intendentes præparationibus, & directionibus propriis, quam divinis. Deneganda, & nihili pendenda sunt omnia, ubi adest præparatio æternorum, & divinorum magnalium. Sim. Cass. l. 6. c. 19.

Loquor vobis, & non creditis. Jo. 10. 25. Quòd beneficia non satis magna à Deo recipimus; id exigua nostra capacitas, aut mala dispositio, non Dei liberalitas remissior, facit. Judæi quòd Christum non cognoscerent, id non suæ cœcitati, non erroribus, sed Christo, adscribent, dicentes: idcirco in notitiam illius se non venire, quòd se illis non aperiret, Sanct. Augustinus in Ps. 7. nolunt culpæ suæ tribuere culpam suam. Didacus Niss. l. 4. D. 5. Quadr.

Juvenes vestri visiones videbunt; seniores vestri somnia somniant. Act. 2. 19. Senibus, utpote ætate fassis, in formam propensis, tribuit somnia; at verò juvenibus excitatis, & vigilibus, visiones. Sapientia Dei accommodat se genio uniuscujusque. Sylveira hic.

Justificari gratis. Rom. 3. 24. Vox gratis in hac justificatione non excludit dispositiones spei, timoris, doloris de peccatis, propositi boni, prævias ad justificationem, quas alibi requirit Scriptura. Sed merita sola excludit. Sic dives dicitur pauperem gratis adoptare in hæredem; licet ab eo requiratur bonos mores, doctrinam; quæ non sunt merita, sed dispositio. Cornelius hic.

Sitienti dabo de fonte aquæ vivæ. Apoc. 21. 6. & Joan. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me.* Sitientes tantum Dominus vocat. Unde inferitur, magnam ad recipienda Dei dona dispositionem esse, ea ardentè desiderare. Dier D. in Alb.

Non, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capiendò munere cœlesti mensura ulla, vel modus, est. Profluens largiter spiritus nullis finibus premitur; nec coercentibus claustris intrà certa metarum spatia frænatur. Manet jugiter, exuberat affluenter; nostrum tantum struat pectus, & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. S. Cyprianus ep. 2.

Quando videt gratia spiritus fervens desiderium, & vigilem mentem, tunc & gratiam suam opulentam liberalitè largitur. S. Chrysoft. l. 6. hom. 3. in Gen.

In veritate didici; nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam; quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. S. Bernardus f. 54. in Cant.

Sitis est appetitus (teste Aristotele) frigidi, & humidi. Quid est ergo sitire, nisi gratiam appetere; per quam concupiscentia infrigidatur, & lacrymarum abundantia provocatur. S. Bonavent. f. 10.

Divina gratia tribus hominum generibus maximè datur: scilicet obedientibus, divina sapientibus, & proximo compatientibus. Idem f. 16. de S. Steph.

Tantò aliquis magis spiritualibus donis repletur, quantò magis à carnalibus separatur. Sanct. Thomas Aqu. Opusc. 9. t. 2. cap. 37.

Sicut in naturalibus formæ infunduntur secundum dispositionem materia; ita DEUS gratuita dona largitur. Idem in Psalm. 1.

Omnes indigent misericordiâ CHRISTI; non tamen omnes præparant se ad illam suscipiendam; oportet enim miseros se ad misericordiam præparare. Simon Cass. l. 5. cap. 13.

TITULUS V. GRATIA HABITUALIS.

§. I.

Symbola.

DEt tibi Deus de rore calii. Gen. 27. 28. Est rationali creaturæ ros coeli non aliud, quàm gratia Spiritus Sancti, quæ peccata remittit. Rupertus l. 7. cap. 17. in Gen.

Lumen vultus sui. Pf. 4. 7. id est, ratio. Vultus Dei dicitur ratio; & lumen hujus vultus est gratia. Quia, sicut moneta est informis, donec imago Regis ei imprimatur; ita ratio deformis est, donec per gratiam Dei illustretur. Ratio enim est imago Creationis; sed gratia Dei est imago recreationis. Hugo Card. hic.

Musca morientes, id est, peccatores, perdunt suavitatem unguenti. Ecclæ. 10. 1. id est, divinæ gratiæ, quò inungitur anima ad sanitatem, ad dignitatem, ad speciositatem, ad fragrantiam, ad suavitatem. Idem hic.

Pulchra ut luna. Cant. 6. 9. Ut quid dicitur anima pulchra, non ut sol, sed ut luna? nisi ut scias, pulchritudinem gratiæ non tantum à te non esse, sed à Deo; quòd humilitatem commendat. Sed etiam, quamdiu in hoc exilio degis, inesse tibi mutabiliter, & amissibiliter. Qui hodie es pulcher, cras poteris esse sordidus: & qui modò es lucidus; postea forsitan fies tenebrosus. de Ponte hic Exhort. 5. §. 5.

Computrescit jugum à facie olei. Il. 10. 27. Jugum à facie olei computrescit: quia dum Spiritus S. gratiâ unguimur, à captivitate nostræ servitute liberamur. Dumque maligni Spiritus dominatio superba repellitur, jugum conteritur, quò libertatis nostræ colla premebantur. Sanct. Gregorius Mor. l. 10. cap. 11.

Vendit universa, qua habet. Matth. 13. 44. Cur ad emendum agrum, non aliqua, sed universa sua vendit homo? Thesaurus fides, gratia, Dei que amicitia; ob cuius æstimationem homo cætera spernit. Sylveira hic.

Inveni drachmam. Luc. 15. 9. Gem-

ma pretiosior in totò orbe fingi non potest, gratiâ divinâ. Hæc quondam à genere humano perditâ, à quo in cassum, nec sinè lacrymis, quaesita frustra fuit. Sed tandem mulieri obtigit eam invenjendi felicitas: *invenisti gratiam.* Ludolphus p. 1. c. 3. gratiam, quam Eva perdidit, MARIA invenit. Segneri f. 40. in festo B. V. Annunt. Drachma hæc Dei gratiâ est: ea sola tam sollicitè invelligatur; cæterarum præ hac ratio nulla habetur. S. Greg. Niss. lib. de virgin. c. 12.

Vinum non habent. Joan. 2. 3. Vinum defecit: quia collatæ gratiæ beatitudinæ privata est miserabilis natura hominis S. Rupertus lib. 2. h. c.

Sic eum volo manere. Joan. 21. 22. Dicit Christus de quolibet, quod de Joanne: *Sic eum volo manere*; scilicet in bona vita, *donec veniam.* Qui existit in gratia, dicitur Joannes. Sanct. Vincentius Ferr. D. infra Oct. Epiph.

Dabo illi stellam matutinam. Apoc. 2. 28. Stella matutina est gratia sanctificans; eum qua advenit Spiritus Sanctus. Richardus à S. Victore.

Peccatum est arbor mortis: gratia est arbor vitæ. S. Bonav. f. 2. hexam.

§. II.

Gratiæ præstantia.

Ex Veteri.

SCIT enim Deus. Gen. 3. 5. Nota: diabolum inter omnes creaturas primò DEUM nominasse; sicut hic habes; & in Evangelio Marci 1. 24. primò vocavit *JESUM Nazarenum.* Cur permisit Deus, ut tam perverfa creatura abominabili ore suò prima divinum illud nomen proderet. Respondet Lippom: id factum, ut nobis indicaretur, non magni facienda gratias, quæ non habent eam comitem, quæ reddimur amici Dei. Quid refert multa de Deo loqui, si ejus gratiâ excidisti, de quò tanto loqueris. Didacus Niss. f. 6. D. 5. Quadr. §. 8.

Homi-